



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

§. De obligatione disponendi pœnitentem ad absolutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

§3. De obligatione dispensandi penitentem ad absolutionem.

49. **H**oc est tertium, quod proposuimus præstare: dum à Confessario in ipso actu confessionis: de quo nihil speciale notandum occurrit: in genere autem certum est, Confessarium non posse absolueri, quem indicat, non esse sufficienter dispositum: dispositio autem consistit potissimum in dolore de peccatis, & proposito non peccandi: præsumitur verò dolor, & propositum, quando in confessione ipsa signa doloris apparent: frequenter tamen rudiores excitandi sunt à Confessario ad hanc dispositionem, quia non satis aduertunt ad eius necessitatem. Difficultas est, quando sunt motiva ad præsumendum eius defectum, v. g. quòd sæpius admonitus penitens non restituit, cum posset; vel non reliquit occasionem proximam peccati, quam poterat relinquere. Tunc autem erit optimum consilium, & aliquando necessarium differre absolutionem, donec restitutio prius fiat, vel occasio relinquatur, si fieri potest, de quo Suarez disp. 32 sect. 2. Quando verò occasio proxima debeat, vel non debeat relinquere, & quando ex reincidentià arguatur defectus propositi requisiti, diximus supra, disp. 14. sect. 10. quod non oportet in præsentem repetere.

SECTIO III.

Quomodo debeat Confessarius supplere defectus in Confessione commissos.

50.
Defectuum
confessionis
tres species.

AD tres classes reduci possunt eiusmodi defectus. In prima sunt defectus, qui pertinent ad substantiam, & valorem Sacramenti, ut si absoluat sine iurisdictione, vel sine dispositione requisita ex parte penitentis, sine intentione, &c. in secunda defectus in damnum tertij, vel ipsius penitentis, ut si non obligavit ad restitutionem debitam, vel obligavit ad indebitam. In tertia denique possunt esse defectus sine alterius præiudicio, sed solum contra integritatem confessionis, ut si non interrogavit circumstantias, vel numerum; vel non examinavit circa alia præcepta, quando oportebat examinare.

51.
De defectu
circa valo-
rem.

Circa primam classem defectum circa valorem Sacramenti, prima sententia dicit, Confessarium, qui sine iurisdictione absoluit, debere postea obtenta facultate, absolueri eum in absentia, si præsentem non potest, expectando tempus, quando credat, penitentem esse dispositum, & in statu gratiæ. Prius tamen deberet, si sine scandalo, & damno potest, eum monere de defectu commisso, ut iterum confiteatur: quando verò id fieri non potest, debet absolueri, vel præsentem, vel etiam absentem eo modo, quo dictum est Ita docet Antoninus 3. part. tit. 17. c. 12. Sylvester verbo, Confessor. 3. in principio. Nauarrus in Summa, c. 26. n. 14. Hanc sententiam, quod attinet ad absolutionem ab excommunicatione, approbant Suarez disp. 32. sect. 6. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 8. n. 6. & alij recentiores communiter. Quoad absolutionem verò à peccatis, omnes reiciunt absolutionem in absentia, cum consistat eam dari non posse. Quinimò, neque in præsentia debere iterum absolui, nisi prius moneatur, probant Suarez, & Vasquez locis citatis: quia absolutio non est valida sine intentione ex parte penitentis: debet ergo admoneri, ut habeat talem intentionem de nouo.

52. Hoc argumentum non videtur mihi satis efficax

quia, quando penitens confessus est, habuit intentionem recipiendi semel absolutionem validam à Confessario; quam cum nondum acceperit, & illa voluntas non sit retractata, non apparet, cur non possit postea illam recipere. Dicunt prædicti Doctores, intentionem penitentis terminatam fuisse ad primam absolutionem, non ad hanc posteriorem, de qua nihil cogitavit. Sed contra: quia, si Sacerdos prima vice absoluat sine debita intentione, & statim animaduerso errore, repetat absolutam, vel sub conditione formam absolutionis; nemo dicet; hanc secundam non esse validam ex defectu intentionis in penitente: ergo intentio penitentis non terminabatur ad priorem prolationem materialem illorum verborum, sed ad absolutionem formalem, & validam, quam cum nondum acceperit, non est, cur non peteueret.

Dicit P. Vasquez, non perseuerare; quia, cum penitens putet, se iam absolutum, non expectat novam absolutionem. Sed contra: quia etiam in primo casu penitens, qui audiuit semel proferri verba absolutionis, putat se absolutum: imò, licet prolata sint cum aliquo errore circa ipsa verba, penitens, qui errorem non aduertit, putat se absolutum; & tamen Sacerdos, animaduerso defectu intentionis suæ, vel errore, potest incontinenti absolueri: ergo, quòd penitens putet se absolutum non retractat priorem intentionem; sed est error priuatus, à quo non pender intentio. Sicut si Sacerdos, quando ordinatur, putet characterem imprimi in aliqua actione antecedenti, & non in porrectione calicis, & Hostiæ, atque ideo iam tunc putaret, se esse ordinatum; adhuc validè ordinaretur, & reciperet characterem suo tempore; quia ille error priuatus non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi ordinationem, quando ei daretur. Similiter penitens, si putet se absolui, quando dicuntur illa verba: Dominus Iesu Christus te absoluit, &c. non verò per verba subsequenta, atque ideo putaret, se iam absolutum; non ideo esset invalida forma absolutionis subsequens: quia error priuatus non destruit intentionem, quam habuit recipiendi absolutionem validam: ergo etiam in casu nostro, quòd penitens putet iam se absolutum, non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi semel validam absolutionem ab hoc Confessario.

Melius ergo reicitur illa sententia: quia tempore sequenti Confessarius non poterit prudenter proferre formam absolutionis super confessione præterita, hoc ipsum ignorante penitente, qui fortasse nouum peccatum commisit, vel non est dispositus iam ad effectum Sacramenti. Addit Suarez, & bene, si in Confessario defuit prius iurdictio, repetendam esse confessionem, cum confessio prior fuerit invalida, utpote facta non iudici: non potest ergo confecti absolutio, nisi monito penitente, ut se breuiter accuset de omnibus; quæ dixit in priori confessione, cuius confusam memoriam adhuc habet Confessarius. Quare, si penitens ipse de se veniat ad confitendum iterum, expedit, eum interrogare, an doleat de omnibus, etiam antea confessis in præcedenti confessione; & an se iterum de illis accuset; & tunc absolutio directè terminabitur ad illa omnia: quod remedium placet communiter recentioribus, quos congerit Diana 1. tom. tract. 1. missi. ll. v. fol. 60.

Secunda ergo sententia est aliorum, qui dicunt: in tali casu nihil faciendum esse à Confessario; sed dolendum de culpa præterita, & relinquendum penitentem in bona fide; quia illa peccata per sequentem absolutionem in alia confessione indirectè remittuntur: & aliunde Confessarius non

§ 4 potest